



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Beniamitarum adulterium, quàm seuerè fuerit ab Israelitis punitu[m]?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

riorum, quod Socrates de poena *sistrorum*, seu lupanarium, & tintinnabulis crimen argentibus, non sanantibus scribat: quasi sufficiat, vel licita sit poena, qua ex adulteris scorta publica efficiuntur.

Socrat. lib. 5.
hist. c. 18.

IV.

Judic. 19. 29.

Cap. 20. 1.

Judic. 20. 1.

Judic. 20. 1.

Judic. 20. 1.

Judic. 20. 1.

Judic. 20. 1.

Judic. 20. 1.

Judic. 20. 1.

Leuites profugam uxorem domum reducere conciliatam volebat; ea violata à Beniamitis, extremeque vexata occubuit. Itaque maritus *arripuit gladium, & cadaver uxoris, cum ossibus suis, in duodecim partes ac frustra concidens, misit in omnes terminos Israel.* Quod cum vidissent singuli, conclamabant: *Nunquam res talis facta est in Israel ex eo die, quo ascenderunt patres nostri de Aegypto, usque in presens tempus: ferte sententiam, & in commune decernite, quid facto opus sit.* Egredi itaque sunt omnes filij Israel, & pariter congregati, quasi vir unus, de Dan usque Bersabee, & terra Galaad ad Dominum in Maspha: omnesque anguli populorum, & cuncta tribus Israel in Ecclesiam populi Dei conuenerunt, quadraginta millia peditum pugnatorum, &c. Ad hos Leuites dixit: *Adestis omnes filij Israel, decernite, quid facere debeatis.* Hic mihi zelum considerate. Agebatur de vnica muliere; de vna nocte; & ex omnibus terminis Israel, egredi sunt omnes filij Israel, adeo ut etiam omnes anguli populorum conuenerent. Et conuenerunt ad Dominum in Maspha, ne sine diuino nutu aliquid inciperent. Mox, Deo consulto, & ipsi inter sese consuluerunt quid facto opus. Tot virorum consilia à matrimonio & à marito laesi caussa steterunt. Vna femina cecidit, quam quadraginta millia peditum pugnatorum iuerunt vindicatum. Stansque omnis populus, quasi vnus hominis sermone respondit: *Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisque intrabit domum: sed hoc contra Gabaa in commune faciamus.* Hac erat conspiratio. Ne autem scire, potius, quam bellare dicerentur, reos facinoris dedi sibi in primis petierunt; quibus negatis, *surgentes venerunt in domum Dei, hoc est in Silo: consulueruntque Deum;* à quo Ducem Iudam acceperunt. Et tamen bis ingenti clade affecti, etiam tertia vice pugnauerunt. Adeo non deterriti sunt, pro iustitia cadere, aut vincere. Vicerunt tandem, & mortem vnam clade ingenti multorum punierunt: *Et sic factum est, ut omnes qui ceciderant de Benjamin in diuersis locis, essent viginti quing, mil-*

lia,

lia, pugnatore ad bella promissimi. Neque hic stetit vindicta. Quippe regressi filij Israel omnes reliquias civitatis, à viris usque ad iumenta, gladio percusserunt; cunctasq; vrbes & viculos Benjamin vorax flamma consumpsit. Tantus zelus fuit Israëlitarum iustitiam amantium, atque odio prosequentium iniquitatem adulatorum.

Expendant hanc historiam iustitiæ ministri, qui penam ipsi mereri, quàm irrogare, malunt, cum vitia alunt connivendo. Adulteria, quin & veneficia aliaque nefaria crimina non desunt: desunt qui puniant. Quam verò ob causam? Quia, ut cuiusque ingenium est, ita peccata ea levia, aut certè non tantis impensis molestissimè arbitratur plectenda. Ast aliter hic iudicavit Deus, cuius auspicijs est pugnatum, aliter pugnatore Israëlita. Alièr iudicabunt & ipsi aliquando, sed serò & iam iudicandi; atque ab ipsis Ethnicis damnandi. Ve enim de ipsius Lucretiæ facto nihil dicam, quæ vel violentum in se atque culpa carens adulterium morte voluit emaculare, ne vlla deinde impudica Lucretia exemplo viueret: certè Lucretià è vulnere lapsà, conclamauerunt vir paterque: *Brutus, illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum manantem cruore præ se tenens, Per hunc, inquit, castissimum, ante regiam iniuriam, sanguinem iuro, vosq; dy testes facio, me L. Tarquinius Superbum, cum scelerata coniuge, & omni liberorum stirpe, ferro, igni, quacunque dehinc vi possim, exacturum; nec illos, nec alium quengquam regnare Roma passurum. Cultrum deinde Collatino tradit, inde Lucretio, ac Valerio, stupentibus miraculo rei, unde novum in Bruti pectore ingenium. ut præceptum erat, iurant: totiq; ab luctu versi in iram, Brutum, iam inde ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem. Elatum domo Lucretiæ corpus in forum deferunt, concientiq; miraculo, ut sit, rei noua, atque indignitate homines, pro se quisque scelus regum ac vim queruntur, monet tum patris mœstitia, tum Brutus castigatorem lachrymarum atque inertium querelarum, auctorq; quod viros, quod Romanos deceret arma capiendi, aduersus hostilia ausos, ferocissimus quisque iuuenum cum armis voluntarium adest: sequitur & cetera inuentus. Hic ardor erat adulterium vindicandi, pro quo Tarquinius castra, exercitum, regnum, patriam*

Tit. Liu. l. 1.